# QUÆDAM DE SCORBUTO MORBO CARCERIBUS FAMILIARI...

Giuseppe Sguario

# QUÆDAM
# DE SCORBUTO
## MORBO
## CARCERIBUS FAMILIARI

## Dissertatio Inauguralis

QUAM
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
CÆSAREA REGIA UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

**JOSEPHUS SGUARIO**
DOCTOR CHIRURGIÆ
ARTIS OBSTETRICIÆ ET PHARMACEUTICES
MAGISTER

PATAVII
EX TYP. ANGELI SICCA
1841

PERILLVSTRI VIRO

JOANNI NEPOMVCENO HVBER

MEDICINÆ ET CHIRVRGIÆ DOCTORI

DOCTRINA COMITATE LIBERALITATE

SPECTATISSIMO

AD LAVREAM MEDICAM

CLARO OMNINO NOMINE ORNANDAM

DISCEPTATIONEM HANC

DE SCORBVTO

JOSEPHVS SGVARIO

IN MAGNI OBSEQVII SIGNVM EXIGVVM

D. D. D.

# PROŒMIUM

Quaedam de scorbuto tetro ac carceribus detentis morbo, nimia eheu! familiari, pro dissertatione inaugurali conscribendi et animus et occasio mihi quoque fuit largissima. Duobus ab hinc lustris et adhuc in carceribus Chirurgi ordinarii munere fungor, ex quo, praeter assiduam circa scorbutum literaturae lecturam, colligere fructus potui, quos licet non maturatos benevolo trado lectori. Nec nova sum dicturus, sed quae experientia edocuit confirmare, absque amolumento quodam, utique censeo.

Prae oculis non habui hoc argumentum pertractans nisi aetiologiam, et, quae illi superstruitur, therapiam, partem excludendo symptomaticam. Haec sunt quae praemittere debui.

Scorbutus, Angl. *Scurvy*, Gall. *Scorbut*, Germ. *Scharbock*, morbus vocatur cacochymicus, sese manifestans in debilitate totius corporis, sensu lassitudinis post somnum aucto, motus segnitie, dyspnoea, animo dejecto, gingivarum laxitate, fungositate et sanguinolentia, maculis lividis per superficiem dispersis, cute squalida et sicca, urina profunde rubra aut brunei coloris in putredinem cito ruente, in haemorrhagias tum internas tum externas proclivitate, ulceribus demum laxis fungosisque. Decursu notatur lento ac diuturno, distinctis vero plurimum stadiis, quorum quodvis propria manifestat symptomata, etsi non indolo forma tamen, numero ac intensitate diversa. Nisi prius sanetur scorbutus, tria percurrit stadia, quorum primum est morbi incipientis, increscentis secundum et colliquationis tertium; quorum vero peculiaria symptomata exponere nolumus, quum sint unicuique artem salutarem exercenti abunde nota. Quaedam autem de mali hujus divisionibus praemittere superfluum haud censemus. Fuit enim a diversis scriptoribus diverso respectu subdivisus, prout illius causas excitantes aut decursum aut indolem prae oculis habuerint. Inde enim distinctiones in maritimum et terrestrem, in sporadicum, epidemicum et endemicum, contagiosum et non contagiosum, haereditarium et adquisitum, in navalem, castrensem, nosocomialem et carceralem etc. natae sunt. Longe majoris vero valoris divisio in acutum et chronicum, in febrilem et afebrilem, in simplicem et complicatum a practicis habetur.

Hisce per transennam nonnisi praemissis ad aetiologiam scorbuti adgredimur, quae clavem et cardinem

omnis et cujuscumque therapiae rationalis in eundem morbum instituendae sistit. Momentorum, ex quorum conflictu causa proxima ipseque scorbutus proficiscitur, alia disponunt, iterum alia illum excitant. Minime vero praetervidemus potentias leviori quodam gradu agentes parere proclivitatem, apertum autem invitare morbum si intensius aut per tempus protractum organismum exagitent.

### Causae proëgumenae.

Quod spectat aetatem, omnes passim juvenesque senesque hocce conflictantur flagello. Certas autem scorbuti formas certis vitae periodis solemnes magis esse minime negamus: nam gonagra, ulcera pedum scorbutica senes praeprimis infestant, quum interim neonatia stomacace et sic dictum ulcus *noma* sint infensa.

Quoad sexum, nullum etiam discrimen intercedit. Num prae foeminis viri aut viceversa scorbuto frequentius sint obnoxii adhuc sub assiduae experientiae colligendae judice lis versatur: auctores enim hoc argumentum pertractantes ex toto coelo sibi contradicunt, quum Sennertus, Charleton, Fr. Hoffmannus foeminas prae viris, Richter vero et Frotterus e contrario viros prae foeminis in scorbutum magis proclives acutiment.

Habitus vero corporis et temperamentum majorem in scorbuto provocando habere partem videntur. Experientia enim utique edocti sumus debilem, teneram, laxam constitutionem, corpora cachetica, adiposa in scorbutum magis esse prona compage robusta, torosa, stricta. Idem de phlegmaticis, melancholicis, mente aeque ac corpore imbecillibus, ingenio incultis, ignavis, timidis, tristibus, pathematibus exagitatis valet; quum e contra cholerici, vivaces, ingeniosi, cordati aegrius, sicuti cuicumque morbo, succumbant.

Causae procatarcticae.

Huc adnumerantur, de quibus sermo fuit, ipsa momenta disponentia, quae longiori quodam temporis intervallo aut majori vi in hominem agunt.

Aerem in progenerando scorbuto valdopere et ab omnibus fere medicis inculpari historia docet, id quod experientia confirmat. Adprime occusatur aër frigidus qua principalis excitans causa, ita ut jam veteres scriptores hanc cachexiam in septentrionales relegaverint regiones. Eorum quoque plurimi rati sunt scorbutum ex Baltici praesertim et glacialis maris oris in Germanism et caeteram Europam meridionalem, veluti veneream luem ex America, transvectum fuisse. Verum enim utplurimum esse videtur scorbutum autumno et hyeme praeparari, vere excludi et aestate mitescere (ut Sauvagesii verbis utamur); nihilominus hisce observatis et factis haud dubiis totum superstrui potest aedificium; saepius enim observatus fuit ejusmodi indolis aër, quin scorbutus inde exortus fuisset, quum alias, nequaquam ita constituto, gravissime saeviebat. Morbum hunccce in septentrione ubique crebro occurrere, sed nec endemice exclusive nec epidemice grassari relata nuperrimorum viatorum sat abunde demonstrant. In Groenlandia, ubi hyeme therm. gall. ad gradus 33 usque descendit, lat. bor. 60-70, harum regionum incolae in miseris tuguriis usque ad viginti numerum hybernare consuescunt, domicilium integrum est angustissimum, plenum exuviis phocarum et stercoribus omnis generis undique congestis quasi obturatum. Talis incola alterno continuo aestu geluque, igne nempe in tugurio accenso, fame haud raro urgente premitur, pessimam spirat atmosphaeram, cibis captandis nonnisi invigilat, longas suas noctes et omne suum tempus otiosus et iners alto sepultus sopore transigit et mi-

serabilem vitam. Vigentibus autem tot et tantis circumstantiis scorbuto generando admodum idoneis, sub tali rerum, inquam, concursu Groënlandiae incola per vitae suae curriculum immunis manet. Alius septentrionis populus, Esquimaux dictus, analogam Groënlandis vitam degens pari ratione scorbuto vivit incolumis. Hancce autem sub tot et tantis circumstantiis immunitatem quidam celeberrimus naturae indagator concordiae, animi tranquillitati, absentiae pathematum, cultus quae plectere solent, qua tot emolumentis harum forsan nationum exclusive propriis, adscribit. Nam polaribus istis regionibus adveuae morbi descripti frequentiam et vehementiam experiuntur; id quod Anglorum et Batavorum exempla edocent. Nihilominus historia nobis magistra est hancce cachexiam in calidissimis aequinoctialibus quoque, verbo omni telluris climate sporadice, endemice et epidemice, marique, terraque, tempore brumali non modo sed omni tempore saevire. Loquitur historia de scorbuto, qui exercitum S. Ludovici invaserat, dum saeculo decimotertio bellum contra Saracenos in Ægypto inferiori gerebat; Vasco de Gama, qui ignotam ad Indos eousque semitam monstravit Europaeis, omnem scorbuti navalis calidissimis imo terrae locis expertus est ferociam. Sed quid, cum mali hujus vestigia apud Hippocratem inveniamus, uti docet Richter in *Hippocraticas scorbuti antiquitates* (Goettingae 1745)? Tardius a Plinio in *Histor. Nat.* Lib. XXV. Cap. III. morbus descriptus fuit, qui saeviebat in Caesaris exercitu ad Rhenum symptomatibus scorbuti similibus, illumque appellavit *stomacacen* et *scelotyrben*. Scorbutus pariter, qui anno 1720 brevi temporis intervallo aliquot millia militum enecavit, in calido Hungariae meridionalis climate saeviebat; sic et ille a Frottero depictus torrida grassabatur zona. Illum

quoque, de quo agimus, in urbis hujus carceribus et calidissima aestate graviter saevire quotidiana fera experientia confirmat.

Aër humidus vero potentissimam exhibet causam scorbuti excitantem, quia ubicumque ille aut epidemicus aut endemicus observatur, aër humidus unquam abfuit; qualis occurrit ad maris litora, in regionibus paludosis, vallibus profundis, casis humilibus, regionibus exundationibus obnoxiis. Quare enim scorbutus potissimum ad glacialis haud minus quam mediterranei et pacifici oceani occurrit littora; naves per alta aequora procellis jactatas ferocius aggredi consuescit; quare nebulosa Anglia, Marchia lacustris, canalibus sulcata Batavia, Aegyptus una cum peste, tempore dum Nilo alveo suo egressus pinguia submergit arva; quare Langobardi, Pedemontani, dum aquae segetibus immissae totam regionem in amplam quasi vertunt paludem, tanto morbo plectuntur. Sed nec talis potentia unica sufficit ad scorbutum generandum, quum et siccissimo coelo eundem grassari novimus.

Aër corruptus, elementorum aëris prava mixtio, tum inter se, tum aliis heterogeneis exhalationibus, gasibus mephiticis inquinatus huc quam maxime pertinet. Huc spectant variae variorum animalium operationes chemico-vitales. Huc pertinet aër carceralis, navalis, ventilatione non expurgatus; ejusmodi est aër castrensis, nosocomialis, in urbibus obsessis, in cubilibus hominibus multis confertis, ubi grassatur periculosa quaedam epidemia, cadaverum cura non geritur. Eadem ex causa morbus afficit quosdam opifices, captivos, nautas, milites, infimam societatis classem; quare hyeme, autumno et vere lubentius prodit, pluviosoque jove, post diutinas inundationes.

Alimenta et potus qualitate et quantitate peccantia, uti jam Hippocrates morborum genesim non solum ex aëre sed etiam cibis et potulentis derivavit, magnam ad scorbutum generandum symbolam contribunnt. Huc imprimis spectant cibi duriores, exsucci, fatui, acriores ex regno utroque petiti; caro speciatim digestu difficilis bovina, caprina, arietina, porcina, piscium, avium maritimarum, aselli. Huc alimenta pinguedine scatentia, salsugine, muria, fumo condita, sole vel gelu quo sipidiora evadant; item lardum, butyrum, pinguedo, caseus, farcimina rancida, cruda aut parca aut larga nimis. Huc vegetabilia parum nutrientia, aegre assimilanda; huc farinacea ex malae indolis frumento parata, aut lolio temulento, secali cornuto et similibus venenatis immixto; huc legumina dura, tenacia. Ex potibus symbolam contribuit aqua dulcis corrupta, ex puteis loci, aëri perspirabili imperviis deprompta, vegetabili aut animali putredine contaminata; sic aqua marina, quae ex dira necessitate pro potu aut cibis coquendis impenditur; vinum acescens, cerevisia non rite fermentata, aromatica, spirituosa, si aut nimis iisdem abutetur aut plane abstinetur (?) Naves ex India orientali reduces, quarum nautae spirituosis et the indulgent, minus huic morbo sunt obnoxiae. Sed hisce experientiis unica fides nullatenus est habenda, quum et contraria extent exempla probantia scorbutum et sub diversis circumstantiis saevisse.

Morbi hujusce evolutioni corporis munditiës neglecta sic et loci inhabitati et vestimentorum multum favet. Sed sola haec causa malo generando impar merito aestimetur oportet; siquidem qui cloacis expurgandis versatur opifex a scorbuto immunis videtur.

Motus corporis aut plane intermissus aut immodicus vitae energiam debilitando ab initio dispositionem, serius

causa protracta et ipsum morbum provocare valet. Otiosi, prae aliis, urbium obsessarum incolae, incarcerati scorbuto ideo facile corripiuntur.

Morbi diversi ad morbum scorbuticum partim disponendo, eundem excitando agunt; ad quos aegritudines omnes illae spectant, quae amplo cachexiarum nomine insigniuntur; uti praeprimis febres lentae continuae, intermittentes pertinaces infarctu, aliaque viscerum abdominalium labe concomitatae. Quartana prae aliis in scorbutum abire solet, sed nonnunquam etiam tertianae, et praesertim quae verno tempore incipiunt et post tertium paroxysmum continuo lacessunt; et eo facilius et promptius si viscerum, praeprimis lienis, obstructio adsit. Sub nomine μεγάλου σπληνὸς describit Hippocrates morbum scorbuto simillimum. « Venter, ait, inflatur; postea vero » lien intumescit et durus est, ac dolores acuti in sple» nem incidunt. Color autem cutis mutatur, et niger con» spicitur, pallidus, et qui malicorii specimen refert; et » ex ore male olet, et gingivae male olent, aeque a den» tibus discedunt, et in tibiis ulcera velut pustulae erum» punt; membra vero extenuantur, et stercus per alvum » non dimittitur. » — Idem alio loco: « Quibus lienes » magni sunt, iis gingivae vitiantur, et os grave olet; qui» bus autem lienes magni sunt, neque sanguinis eruptio» nes contingunt, neque os grave olet, ii in tibiis ulcera » habent, et nigras cicatrices. » — Sic neque Paulus Ægineta, sic Avicenna morbum describunt.

Pari modo ae morbi, omnium remediorum directo aut indirecte debilitantium abusus scorbuto generando favet: sic antiphlogistica audacius diutiusque, quam a natura morbi requiritur, in usum protracta; remedia solventia, saliva praeprimis, quae per jacturam humorum organismum extenuant, aut etiam chemico modo

solidorum compagem solvunt; saccharinorum abusus, non minus et narcotica omnis generis nervorum energiam dissipando.

Animi pathemata et affectus inter praecipua scorbuti momenta jure nominari merentur; quorum enim animus demissus et pectus tristi quodam affectu excruciatur, cujuscumque sint temperamenti aut habitus, difficulter a scorbuto immunes manserunt et manent. Omnes enim auctores tristitiam, moerorem, taedium, nostalgiam, anxietatem, aegritudinem, atrasque cujuscumque generis curas inter gravissimas hujus cachexiae causas referre legimus. Nonnulli etiam timore perculsi extemplo in morbum inciderunt. Inter Æthiopes captivos ob patriae jacturam et odium serviendi moerorem ad morbum provocandum plurimum conferre Frotterus monet. Scorbuti Massiliae quondam saevientis causa terrori, anxietati magna pro parte tribuitur.

Ex hisce per transennam de scorbuti aetiologia dictis facile quilibet perspicere potest, pleraque illa momenta in captivis incarceratis concurrere ad morbum hunc provocandum, fovendum; talem etiam cachexiam facilius et promptius iis in carceribus evolvi, omni cuicumque medelae pertinaciter resistere, quorum incolae ad inertiam et omnis corporis exercitii aut animi distractionem plane nullam damnati sunt. Languens enim virium exercitium partim directe, partim in animum agendo indirecta ratione in corporis perniciem operatur: id quod nautis quoque accidit, inter quos segnes, socordes, ab opera soluti omnium primi in morbum incurrunt. Unicuilibet medico proverbium notum est: « Iners » ad agendum, piger, veternosus scorbuti primus candi» datus. »

## Therapia Scorbuti.

Quum de causa proxima, essentia scorbuti tot tantaeque sibi dissentientes opiniones sint, rationalem therapiam tali contradictoriae opinionum turmae quis, quaeso, superstruere potuerit aut voluerit?

Tutissimam igitur therapiam illam censemus, quae omnes conditiones scorbuticae indoli faventes amovere, alias vero restituendae sanitati aptas subministrare studet.

Quoniam scorbutus ut plurimum ex pravo oritur regimine, ex aëre depravato victuque, exercitio neglecto virium, ex animo depresso etc., unica quoque salus in diaeteticis erit quaerenda.

Omnium primus aër atmosphaericus aegrum ambiens respectum meretur. Sit enim purus, temperatus, sufficienti partium eundem constituentium quantitate, qualitate quoque praeditus. Quod si ejusmodi aegri rurali aëre reficienti gaudere non possunt, cubilium saltem ventilatione erit atmosphaera amendanda, pavimentorum munditie inspersione cum aceto, aqua frigida, ligno aut baccis juniperi combustis corrigenda.

Admodum aegris conducit diaeta ex vegetabilibus succulentis, sed recentibus acidulis, quae plantares substantiae sub forma quoque medicamenti exhiberi solent. Huc spectant fructus horaei recentes acidulique, cerasa, pyra, poma, pruna, uvae, fraga, rubus idaeus, ribesia, myrtilli, melones etc., quae si cruda flatulentiam colicamque generent, condita subministrentur oportet. Inter reliqua acido-vegetabilia pertinent acetosa, acetosella.

Antiscorbuticis viribus scatent omnia olera recentia, spinacia, endivia, asparagus, portulaca, brassica, chaerophylon, praecipue si aceto sunt condita; omnia vegetabilia alcalescentia, uti cochlearia off., armoracia, nasturtium aquaticum et hortense, raphanus sativus, sinapis,

brassicae omnes, rapae, beccabunga, caepa, allium; plantae omnes, quae resinoso principio scatent, ex quibus cerevisia, decoctum aut acetaria parantur.

Victui vero vegetabili animalia jungatur, jura carnium concentrata carnesque teneriores. Panis bene sit fermentatus, bene tostus, ex bona paretur farina, nullisque heterogeneis nocuisque substantiis inquinetur.

Corporis exercitium sit moderatum, quod nec nocet, sed quando ad levem nonnisi fatigationem protrahitur.

Animus est erigendus, distrahendus.

Haec sunt praecipua momenta ex diaeteticis pro maxima parte desumpta, quae directae satisfaciunt curae indicationi.

Ubi vero ad altiorem gradum scorbutica diathesis fuerit evoluta, tunc ad indirectam curam refugiendum erit. Virium enim vitalium languor est corrigendus, solidorum compages laxa firmanda, humorum discrasia in plenariam dissolutionem aut liquationem ruens emendanda.

Indicata itaque sunt tonico-amara, tum adstringentia, tum stimulantia; uti cichoreum, centaureum minus, gentiana, fumaria, trifolium fibrinum, calamus aromaticus, imperatoria, angelica, cortex Winterianus; acida mineralia, praesertim acidum sulphuricum, elixirium acidum Halleri, elixirium Anglicanum, naphtae omnes etc.

Docuit et quotidiana docet experientia, omnia haecce enumerata remedia incassum tentari, nisi simul exactus diaeteticae respectus habeatur.

# THESES DEFENDENDÆ

I.

Non aetas, verum fida ad lectos aegrorum capta experientia constituit praestantiam medentis.

II.

Morbum qui praecavet plus praestat, quam is qui eum sanat.

III.

Ad morborum endemicorum indolem investigandam geographiae, physices studium necessarium.

IV.

Diaetetica tum scorbuti causa, tum princeps medela.

V.

Datur scorbutus haereditarius.

VI.

Pauperibus aegrotantibus diaetetica et therapeutica auxilia domi praestata magis prodessent, quam in publicis nosocomiis eorum curatio.

VII.

Remotio causae proximae in curandis morbis principalis medici rationalis indicatio.

## VIII.

Non datur febrifugum chinae ejusque praeparatis aequiparandum.

## IX.

In morbis organicis desperatae valetudinis misericordia est medici symptomaticae haerere medelae.

## X.

Novitates sectetur theoreticus, practicus vero gratia earum nunquam discrimini exponat vitam aegrotantis.

## XI.

Experientia indicatioque rationalia omni auctoritate superior.

## XII.

Regiminis diaetetici observatio in sanandis et sublevandis morbis plurimum saepe contribuit.